



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

12. Orationes pro infirmis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

vel si ex hoc seculo transferre in aliud vo-
let, ipsum bene disponat ad æternæ foeli-
citatæ consecutionem. 4. Aqua benedi-
cta, cereus sacer, imago crucifixi. 5. com-
mendatio animæ secūdum communē Ec-
clesiæ ritū. 6. Remotio ab agonizātis aspe-
ctu eorū omnium, qui bonam eius præpa-
rationē ad moriendū impedire possunt
vt esse solēt per sepe filij, & vxor, qui potius
humanos affectus quàm spirituales pro-
uocarent: fecus, si essent spirituales, & ad
iuuandū infirmum idonei crederētur. Sed
& tempore morbi, non debet permitti, vt
amici, consanguinei, & affines cum infir-
mo de rebus huius mundi agant, quando
potissimū testamentum, voluntatemq;
suam vltimam constituit, & declarauit.

PARS XII.

*Orationes quas dicere infirmi, & qua
pro illis etiam ab alijs reci-
tari possunt.*

*Oratio e-
groti ad re-
parationem
vitæ antea-
tæ.*

Domine Iesu Christe, reparator meus
es tu, instaure ergo quæso, quæ ego
destruxi in meipso, abutendo donis
tuis ingratiſſimè contra te; & in proximis
malo exemplo, verbis, & actionibus meis
ipsum offendens. Repara quæso detrimen-
ta vitæ meæ, quam heu nimis inutiliter,
& ma-

& malè transegi, amittendo dona tua, & omittendo quæ agere ad profectum meū, & proximorū debui: sed tu de thesauro tuo inexhausto refarcire potes omnia hæc dāna. Supple etiam amantissime Domine I E S V imperfectionem actionum mearum, quæ propter tepiditatem meam, & admixtionem vanitatis, & aliarum mearum imperfectionum, ex parte mea exigui sunt valoris, & meriti, nisi de tua plenitudine earum defectū suppleueris. Coniunge obsecro indignissimum obsequium meum cū omnibus quæ egisti, & passus es extam perfecta caritate & obedientia, & cum diuitijs satisfactionum, & meritorum dilectionis tuæ, Patri æterno illud offerre digneris, vt de tua plenitudine paupertas mea ditetur coram diuina iustitia, & bonitate. Amen.

Domine Iesu Christe, credo quod Deus *Precatio* *lia aegroti*
 meus, & redemptor meus es tu; & quicquid *per S. Ecclesiam Catholicam proponis cre-* *fidem suam*
 per S. Ecclesiam Catholicam proponis cre- *dendum, fideliter, & firmiter credo, & protestantis*
 dendum, fideliter, & firmiter credo, & *in ea fide protestor me velle viuere, & mo-* *se Deo*
 in ea fide protestor me velle viuere, & mo- *ri. Doleo ex animo quod te bonitatē sum-* *resignantis.*
 ri. Doleo ex animo quod te bonitatē sum-
 mam offenderim; peto mihi humiliter
 condonari per sanguinem, & vitam tuam,
 quam pro mea salute profudisti, quic-
 quid contra te Creatorem, & redempto-
 rem meum, quicquid contra SS. matris

meæ Ecclesiæ decreta & mandata, tam per
 commissionem, quàm per omissionem per-
 petraui. Et si quid vel oblitus sum, vel non
 cognosco, quòd offenderit maiestatem tu-
 am, de eo illuminari cupio, & pœnitere, &
 cœteri, & interim de omnibus veniam pe-
 to, cum firmissimo proposito ab ijs dein-
 ceptis abstinendi. Omnibus qui me offen-
 derunt ex corde, & libèter offensas omnes
 propter te dimitto; Et si quem ego offendi,
 precor etiam mihi veniam dari; & si quid
 alicuius est apud me, quàm teneor, & fa-
 cultates meæ se extendunt, volo satisfieri
 omnibus, quib⁹ debeo. Spero in diuina tua
 misericordia, & in hoc sanguine, quē pro
 me effudisti tanta cum caritate, quòd me,
 licet indignum, saluum facies, & adimple-
 bis me lætitia cum vultu tuo; & vt id fa-
 cias, per sanctam passionem, & mortem
 tuam deprecor. In manus tuas, Domine,
 commendo spiritum meum: resigno in eis
 voluntatem meam, & subijcio illam tuæ
 sanctissimæ voluntati, vt de vita, & morte
 mea facias secundum beneplacitū tuum;
 tantum effice & dona, vt ego toto te corde
 & tota mente diligam, laudem, & benedi-
 cam in æternum.

Precatio ad Sub tuum præsidium confugimus san-
virginem cta Dei genitrix, nostras deprecationes ne
Deiparam. despicias in necessitatibus, sed à cunctis pe-
riculis

riculis libera nos semper virgo gloriosa, & benedicta. Alumnus ego fui tuus, ô benedicta mater, Sodalitatis familięque tibi sacrę filius extiti; sed noui admittas in boni Sodalıs officio negligentias meas, quas mihi condonari à tua benigna pietate rogo; suscipe me, si nõ filium, seruũ certè tuum; ac cæterorum Sodalium, vniuersęque per orbem familię meritis, precibus, suffragijs placata, admitte meas preces, quas in finem misericordię tuę effundo; & felicem liberumq; ab hostibus exitum dona, vt te aliquando cum Angelis, sanctisque omnibus benignissimam Dei matrem, reginamq; colere, & videre æternum possim, Amen.

Maria mater gratię, mater misericordię, &c.

Sanctę Michaël Archangele, defende *Ad S. M.* me in prælio, vt non peream in tremendo *chaelem, et* iudicio. Precor vos omnes SS. Angeli, & omnes *Ang.* Archangeli, vt vestra intercessione mihi *gelos.* detur auxilium, & patientia, vt nullus mihi inimicus noceat, Amen.

Angele Dei, qui mei es custos, me tibi *Ad Patro-* cõmissum pietate superna, in mortis hora *num.* illumina, custodi, rege & gubernas, Amen.

O sanctę N. in te spem, & confidentiam mihi apud Deum patrocinandı collocaui; nunc maximè tuo mihi opus est auxilios

Q 5

xilos

xilio; succurre igitur in hoc extreme necessitatis meæ articulo.

Precationes pro infirmo.

DEus, in cuius libro sunt vocabula notata mortalium, concede quæsumus famulo tuo N. veniam delictorum omnium, & præsta, ut quem immensus languor excruciat, tua miseratio reparet ad medelam: & sicut admissio piaculi adduxit dolorem, adducat etiam cōfessio salutaris optabilem sanitatem Per Christum, &c.

Respice, quæsumus Domine, famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emundata, continuo se sentiat tua medicina saluatam. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Pro agonizante.

Deus misericordiæ, Deus clemens qui secundum multitudinē miserationum tuarum, peccata poenitentium deles, & præteritorum criminum culpas, venia remissionis euacuas; respice propitius super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis cōfessione poscentem deprecatus exaudi. Renoua in eo piissime pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatū est, & unitati corporis

poris Ecclesiæ membrum redēptionis ad-
necte. Miserere domine gemituū, miserere
lachrymarum eius, & non habentem fi-
duciam, nisi in tua misericordia, ad tuę Sa-
cramentum reconciliationis admitte. Per
Christum, &c.

Ascendant ad te, Domine, preces nostrę,
& animam famuli tui N. gaudia æterna su-
cipiant; vt quem fecisti adoptionis partici-
pem, iubeas hæreditatis tuę esse consor-
tem. Per Dominum nostrum, &c.

*Sub exitu
animæ de
corpore.*

PARS XIII.

*Quòd Misericordia vita defunctis meri-
tò impendenda sit.*

EA duobus officijs continetur: oratio-
ne & precibus, alijsque subsidijs pro sa-
lute animæ præstandis; & obsequio, quod
deferendo corpori ad sacram sepulturam
debetur. Vtrumque munus, magnæ ca-
ritatis & misericordiæ officium est; Soda-
libus, alijsque Christianis, non propin-
quis tantum & notis, sed externis quoque,
& ignotis, non omittendum; id potis-
simum quod animæ defertur, quæ eo am-
plius aliorum auxilijs opus habet, quo mi-
nus se iuuare potest: & quo grauior, & ter-
ribilior est ignis, ad quem nō omninò ex-
purgatæ animæ amandatur, donec perfol-

Q 6 uerinat